



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetæ Psalterium

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs XXXII. Beati, quorum remissæ sunt &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

PSALMVS XXXII.

Beati, quorum remissæ sunt &c.

Felix, cui Dominus delicta patrata remittit,
 Felix, cui Dominus crimina cuncta tegit.
 Felix, cui peccata Deus non exprobrat ulla,
 Qui non fucato numina corde colit.
 Nam tibi cum dubio reticerem pectore culpam,
 Assiduus mœror torruit ossa mea.
 Omnia mēbra Dei oppressit mihi dextra potentis,
 Hinc reliquum succi est sanguinis hisq; nihil.
 Nunc mea cuncta palā Domino peccata fatebor,
 Nec maculas culpæ dissimulabo mea.
 Dum loquor hac, meditorq; tibi commissa fateri,
 Tu sceleris tollis mox onus omne mei.
 Ergo, lehoua, omnes captato tempore sancti
 Orabunt super hac te bonitate tui.
 Fluctibus eluuio licet ingens ingruat atris,
 Non tamen hos tanget fluctibus unda minax.
 Me tua dextrā, Deus, semper defendat ab hoste,
 Ut me seruanti cantica grata sonem.
 Te nunc erudiam (Deus inquit) ero tibi ductor,
 Ire salutifera teq; docebo via.

Hifce

*Hisce meis oculis te recto in tramite ducam :
Omnia ut ex nutu stentq; cadantq; meo.
Cur mulis fieri similes stupidisq; caballis
Vultis, ut os vestrum dura lupata doment ?
Impius ut pœnas cumulat sibi, sic pietatis
Gaudia cultorem non peritura manent.
In Domino exultet gens & sit leta piorum,
Concinat hymnisonis dulce melosq; modis.*

PSALMVS XXXIII.

Exultate iusti in Domino, &c.

Gaudete iusti, laudibus
Decentibus pii: Deum
Ornate grato pectore,
Referre grates discite,
Huic instrumenta Musica
Canant sonora carmina,
Huic canticum fundant nouum
Psalteriorum iubila.
Jehoua agamus gratias,
Huiusq; sermo rectus est,
Promissa nec cœlestia
Incerta, sed fidelia

H 3

Sunt,